



Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Caput VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75090)

Paulus, qui dicebat: *Bonus odor sumus Deo in omni loco, & in his qui pereunt, & in his qui salvi sunt.* Sed notandum est, quoniam quicquid in Ecclesia iustitiæ & fortitudinis habetur, ab ipso Christo per exempla operum illius trahitur. Ideo sequitur:

XXI. *Manus illius tornatiles, aurea, plena hyacinthis.*

Quid enim per manus Christi designatur, nisi opera sancta quæ in mundo gessit, & quæ nobis imitanda proponuntur? Ipse enim ait: *Qui me diligit, me sequatur.* Et Apostolus: *Qui dicit se in Christo manere, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare debet.* Manus verò tornatiles esse perhibentur: quia sancta opera ejus sine impositione iniquitatis ex omni parte in iustitia gradiebantur. Quod enim tornatur, in rotunditate sui sine obstaculo volvitur. Sic Christi opera in rectitudinis rotunditate voluebantur: quia nulla culpa ei adharebat: quia minus iustitia ejus in rotundum duceretur. Aureæ etiam manus esse dicuntur: quia quicquid exterius inter homines operabatur, interius in divinitatis pulchritudine disponebatur. Quid verò per hyacinthum, qui valde pretiosus lapis est, nisi munus retributionis æternæ designatur? Manus ergo sponsi plenæ hyacinthis esse dicuntur: quia quicumque illius opera pio corde imitantur, felicitatis æternæ muneribus in retributione ditantur. Unde & idem Redemptor ait: *Qui mihi ministrat, me sequatur; & ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Sequitur:

XXII. *Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris.*

Quid per ventrem, nisi mortalitas? Et quid per ebur, nisi incorruptio designatur? Ebur quippe valde durabile os habetur, & in ornamenta Regum assumitur. Venter ergo Christi rectè eburneus esse dicitur: quia mortalitas Christi ad immortalitatem perducitur, dum per resurrectionem ad gloriam Patris sui, Regis videlicet æterni, in vita æterna collocatur. De quo dicitur: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Qui verè in ornamento Regum assumitur: quia quisquis carnis suæ rex & dominus esse probatur, ipse Christi mortalitate & resurrectione, amore cognitionis & spe immortalitatis ornatur. Unde alibi dicitur: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Sed venter distinctus sapphiris esse perhibetur: quia in nostra corruptione quam portavit, cælestia opera per miracula quæ faciebat, passionibus nostris inferebat. Sapphirus enim qui æreum colorem portat, bene cælestia facta quæ in miraculis ostendebantur, designat. Venter verò Christi sapphiris distinguitur: quia dum inter passiones carnis divina miracula operabatur, quasi incorruptione corruptio variabatur. Qua dispensatione Apostolis in fide eruditi sunt, & ad passiones tolerandas robusti extiterunt. Ideo sequitur:

XXIII. *Crura illius columnæ marmoreæ, que fundate sunt super bases aureas.*

Per crura enim Apostolos intelligimus, per quos universum mundum circumvit, & fidem eis prædicantibus, populis audientibus sparsit. Quibus ipse in Evangelio ait: *Ite in orbem universum, & prædicite Evangelium omni creature.* Sed crura columnæ marmoreæ esse perhibentur: quia Ecclesiam inflexibiliter sustinent, dum contra omnes adversarios eorum prædicationibus & exemplis roborantur. Super bases autem aureas columnæ fundatæ sunt; quia à Prophetarum dictis, ut fortes persisterent, fidem integram acceperunt. Unde ipse primus Apostolorum ait: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucerna ardenti in*

caliginoso loco. Ideo enim aurea dicuntur, quia luce sapientiæ resplendere sciuntur. Sequitur:

Species ejus ut Libani, electus ut cedri. XXIV.

Libanus quippe mons est in quo sublimes valde & odoriferæ arbores habentur. Interpretatur autem Libanus dealbatio sive candidatio. Et de Christo dicit Apostolus Paulus: *Ipse factus est nobis à Deo sapientia & sanctificatio & iustitia.* Bene ergo species ejus ut Libani existit, quia per eum credentes dealbantur: cui si adharemus radicibus, sublimes efficiuntur. A cujus gratia etiam bonæ opinionis odorem, si quem habemus, accipimus. Electus etiam ut cedri esse dicitur; quia de eo Pater loquitur: *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Cedrus autem excelsa est valde arbor, & odora & impubilis. Christus autem excelsior cedris existit: quia quamvis homo sit, tamen Deus esse non desistit. De quo per Isaiam dicitur: *Et sublimis erit valde.* Odorus etiam super omnes est Christus, quia ipse de seipso ait: *Ego flos campi, & lilium convallium.* Et per sponsam ei dicitur: *Cur remus in odorem unguentorum tuorum.* De quo hic bene sequitur:

Guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis. XXV.

Per guttur quippe voces transferuntur, & sapes in ventrem hauriuntur. Quid ergo per guttur sponsi, nisi Testamentum Christi intelligitur, per quod Christus nobis loquitur, & in quo quam suavis sit Dominus, à fidelibus gustatur? Totus ergo desiderabilis existit: quia per hoc quod de eo bona omnia anima sancta audit, magis ac magis semper eum videre concupiscit. Cujus tot bonis enarratis consequenter concludit sponsa, dicens:

Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filia Hierusalem. XXVI.

Sed enumeratis tot laudibus, ostensis tot muneribus, quis audiens non concupiscit, quis intendens non inardescit? Fidelis quippe anima quaque, quò dulciora & ampliora de Redemptore suo audit, eò ardentius inhiat, & manifestiora de eo cognoscere appetit, dicens:

Quò abiit dilectus tuus, & pulcherrima mulierum? Quò declinavit dilectus tuus, & quaremus eum tecum? XXVII

Cum enim proximus proximo de Christo loquitur, cum alter ab altero qualiter invenitur sciscitatur, quid aliud quàm quomodo quæri debeat perferatatur? Quamvis hoc de synagoga intelligi valeat, ut aliquando conversa Ecclesiam interroget, cui protinus Ecclesia respondet:

CAPUT VI.

Dilectus meus descendit in hortum suum. Dad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat. I.

Dilectus in hortum suum ad areolam aromatum descendit; quia Ecclesiam visitans, ad eos majori gratia venit, quos sanctis operibus & virtutum exemplis bonæ famæ odorem ex se proximis emitere cognoscit. In hortis pascitur, cum multarum animarum virtutibus delectatur. Lilia colligit, quando perfectos quosque ab hac vita succidit. Sed quia sancta Ecclesia in filiis suis fide Christo ita conjungitur, spe suspenditur, charitate conglutinatur, ut nihil extra Christum diligat, & eum sibi

EGO
MIM
m.3

familiariter fide & amore inseparabilem teneat ideo A
subjungit:

II. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui
passus inter lilia.*

Notandum quippe, quòd synagoga per prædicationem Ecclesiæ ad fidem quandoque convertetur, ita ut se abnegans, Christum solum sequatur, & eodem desiderio diligat Christum, quo cum Ecclesia diligit, quem ceteris postpositis solum amat. Quam jam amicam factam, jam sponsam sibi conjunctam sponsus alloquitur, congratulans & dicens:

III. *Pulchra es amica mea, suavis & decora B
sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum
acies ordinata.*

Pulchra & amica, suavis & decora sicut Hierusalem, synagoga esse perhibetur: quia sancta quatuor Evangelia aliquando conversa sicut Ecclesia sectabitur. Hierusalem quippe visio pacis interpretatur. Per quam bene sancta Ecclesia figuratur: quia dum in mundo semper pressuram patitur, viam fastidians, quæ sit pax patriæ caelestis currendo contempletur, confidens in eo qui discipulis suis dicebat: *In mundo quidem pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.* Dignè autem synagoga conversa, sicut Hierusalem pulchra & amica & suavis & decora dicitur; quia dum sanctam Ecclesiam imitatur, quatuor Evangeliorum præcepta operatur, à quibus pulchritudinem morum accipit ut placeat, exercitium sanctæ operationis colligit ut in amicitia hæreat, suavitatem mansuetudinis discit ut permaneat, speciem decoræ conversationis ostendit ut per exemplum trahat. De qua consequenter dicitur: [*Terribilis ut castrorum acies ordinata.*] Notum expertis est, quòd milites cum in prociñctu contra hostes vadunt, si strictim & concorditer gradiuntur, ab hostibus contrà venientibus timentur: quia dum in eis aditum per scissuram non aspiciunt, qualiter eos penetrent, hæsitantes non inveniunt. Illisque hoc impenetrabile munimen efficitur, quòd concorditer ordinati seipsos timentur. Dum enim de seipsis sibi vallum efficiunt, intrandi ad se aditum hostibus non relinquunt, & ut occidantur appetiti, ipsi faciliùs occidunt. Sic in multitudine fidelium contingit, quæ dum contra malignos spiritus pugnare non desinit, necesse est ut pace charitatis constringatur, quòd salva sit. Si enim pacem tenet, terribilis hostibus apparet. Si per discordiam scinditur, undique ab hostibus leviter penetratur. Pace se itaque muniat, unitate se vinciat, charitate se uniat: ut dum in seipsa per scissuram damnum non patitur, ducem suum semper exultans sine confusione sequatur. In pace quippe oculus mentis mundatur, ut in ipsam beatitudinis visionem intendatur. Quam nemo sicut est, in hac vita conspicit: quia impossibile est patriam tenere, dum in exilio unusquisque nostrum gemit. Ideo sanctæ animæ inardescenti, inhianti, propinquanti sponsus respondet, dicens:

IV. *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.*

Oculos ad sponsum tendimus, dum intuitum mentis ad videndam Christi beatitudinem aliquantulum aperimus. Sed oculos avertere præcipimur, ne videlicet aspicere eam sicuti est, quantumcumque videamus, arbitremur. Ipsi enim oculi cum avolare fecerunt: quia quòd amplius videtur, eò magis invisibilis esse cognoscitur. Et à nobis avolat: quia quantumcumque istu mentis apprehensus, incomprehensibiliter super omnem conatum nostrum

se exaltatum esse manifestat. Oculi quippe mentis quasi hoc efficiunt ut avolet: quia per hoc tantillum quo videtur, valde longinquus & avolans à nobis, sicut dictum est, apparet. Sequitur:

Capilli tui sicut greges caprarum, quæ apparuerunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges ovium, quæ ascenderunt de lavacro: omnes gemellis fatibus, & sterilibus non est in eis. V.

Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet. VI.

Hæc omnia dicta de Ecclesia superius, ut potuimus, exposuimus: ideo nunc de synagoga eadem replicare devitamus. Unum tamen quod non similiter reperitur: quia ibi sicut fragmenta mali punici, hæc autem sicut cortex mali punici dicitur. Quo nihil aliud designari puro, nisi sanguinem Martyrum, qui sub antichristo morientur: & unitatem fidei, sub qua multi Judæorum stringentur. In cujus constantia dum sanguinis effusionem patientur, fidei tribulatione quasi corticis rubore decorabuntur. Sequitur:

Sexaginta sunt regina, & octoginta concubina: & adolescentularum non est numerus. VII.

Quid per reginas, nisi sanctorum animæ designantur, quæ dum corpora sua prudenter regunt, & aliis præfunt, regnum sibi æternum acquirunt? Sunt enim nonnulli in sancta Ecclesia qui carnem suam macerant, & propter Deum affligunt, vitia vincunt, demones velut tyrannos sibi subijciunt, omnes motus suos ut ordinatè currant, sapienter regunt, aliis prædicant hoc quod ipsi faciunt, multos à faucibus dæmonum gladio verbi pugnantes abstrahunt. Quid hujusmodi animæ nisi reginæ existunt, quæ dum Regem Christum sponsum suum valde diligunt, amoris commixtione & libidinis execratione, regios filios, id est, fideles populos gignunt? Quibus omnibus beatus Petrus Apostolus dicebat: *Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Sed reginæ sexaginta esse perhibentur. Denarius quippe numerus per senarium multiplicatus in sexaginta completur. Et quid per denarium, nisi decem præcepta Legis: & quid per senarium, nisi labor hujus vitæ signatur? Sex enim diebus quod necessarium est operatur, & in septimo quiescere per legem jubemur. Bene ergo sexaginta reginæ esse dicuntur: quia dum decem præcepta in hoc sæculo operantur, sæculum autem hoc sex diebus operatoris evolvitur, in eis quasi per senarium numerum, denarius numerus replicatur. Prædicant enim perfecti quique decem præcepta Legis, in quorum operatione se exercent in temporalitate hujus corruptionis. Sex igitur decies, vel decem sexies multiplicant: quia universale hoc tempus in explenda decem præcepta Legis spiritualiter esse transigendum, operibus suis manifestant, & verbo prædicant. Quorum laudem in hoc mundo aliquando reprobi aspiciunt: & ut similiter laudentur, vel ut aliquod commodum in hac vita quomodocumque adipiscantur, etiam ipsi per semetipsos prædicatores fiunt. De quibus bene subditur: [*Et octoginta concubina.*] Concubina quippe non verè, sed fictè dominos diligunt, & ab eis non posteritatem filiorum, sed præsentiam commodorum expetunt, nec continentia se exercent, sed libidinem explere conepiscunt. Sic falsi prædicatores in Ecclesia existunt: quia dum non Christum, sed lucrum vel laudem diligunt, non spiritualiter & castè, sed carnaliter & libidinosè Christo se conjungunt. Bene ergo concubina vocantur; quia Christum

stum quem prædicant, non spiritu, sed carne sectantur. De quibus Apostolus Paulus dicebat: *Multi enim ambulat, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & hæc dico, inimicos crucis Christi, quorum finis inventus, quorum deus venter est.* De quibus ipse idem ait: *Huiusmodi non serviunt Domino Iesu, sed suo ventri.* Quæ tamen concubinæ bene octoginta esse dicuntur; quia etsi toto corde terrena diligunt, cælestia tamen loquuntur. Octonarium quippe numerum per denarium ducimus, & ad octoginta venimus. Per decem autem Decalogus, sicut dictum est, significatur: per octo verò resurrectio, quia octavo die Redemptor noster resurrexisset probatur. Prædicatores verò etsi falsi sunt, per desiderium tamen, & scripturam divinam, & resurrectionem quam credimus, manifestant per verbum. Si enim aliud prædicarent prædicatores, inter Christianos non essent: de quibus in Evangelio Veritas ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* Sed quia & falsorum & verorum prædicatorum exhortatione plurimi ad fidem veniunt, & cum electis multi intrant, qui ad fontem electorum non pertingunt, ideo subditur: *[Et adolescentularum non est numerus.]* Cum enim scriptum sit: *Adolescentia & iuventus vana sunt:* quid per adolescentulas has, nisi vagas animas intelligimus? Quæ dum vana hujus mundi sectantur quæ diligunt, numerum electorum excedunt. De quibus per Psalmistam dicitur: *Annunciavi & lecturus sum, multiplicati sunt super numerum.* Quod enim electorum numerus apud Deum sit constitutus, manifestat Apostolus Paulus qui ait: *Novit Dominus qui sunt eius.* Et per semetipsum Dominus ait: *Ego scio quos elegerim.* Quos quia non imperfectè scit, sed perfectè novit, procul dubio & numerum in quo eliguntur, cognoscit. De quibus per Paulum dicitur: *Quos enim præsevit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Bene ergo adolescentularum non est numerus; quia dum per vanitatem quam diligunt, in numerum electorum non currunt, extra remanentes quasi in cognitionem divinam non veniunt. Quibus ipsa Veritas in futuro iudicio dictura est: *Nescio vos. & Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Sed dum reprobi mundana querunt, & per multiplices cupiditates animum dividunt, sancta quælibet anima in numerum electorum se stringit, multa quæ videt fastidians, unum quod non videt, ardentem appetit, quod quamdiu non tenet, in fide se nutrit, in charitate se unit. Et dum id quod unum & idipsum est sequitur, de huiusmodi multis una Ecclesia conficitur, de qua per sponsum dicitur:

VIII. *Vna est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ.*

Mater nostra est regeneratrix gratia, apud quam una columba eligitur, quia illos solos colligit, qui in simplicitate permanent, & ab unitate non scinduntur. Multi quippe fideles dum in idipsum intendunt, dum uno desiderio Christi se invicem nutriunt, dum habentes cor unum & animam unam, in charitate se uniunt, ex multis membris unum corpus efficiunt. Omnesque in unitatis simplicitate & unitate viventes, una columba existunt. Quæ sola perfecta & electa genitrici suæ dicitur, quia extra hanc quam dicimus Ecclesiam, nemo ad perfectionem, nemo ad vitam, nisi per hanc solam gratia fonte nutritur. De qua bene subditur:

IX. *Viderunt eam filia Sion, & beatissimam prædicaverunt: reginæ & concubinae laudaverunt eam.*

Sion filia, filia sunt Ecclesie, quæ dum vitam S. Greg. Tom. III.

A æternam in hac carne contemplantur, à peregrinate Ecclesia ad regnantem Ecclesiam eriguntur. Vident filia Sion columbam, & beatissimam prædicant: quia sanctæ animæ dum virtutes Ecclesie spectant, in laudem prorumpunt, & ad ejus beatitudinem inhiant. Sancta quippe Ecclesia gratia genitrici nutritur, dum fide eruditur, carne sui sponsi paciscitur, sanguine lavatur, scripturâ divinâ saginatur. Huiusmodi robusta nutrimentis demones expugnat, vitia suffocat, carnem domat, spiritum roborat, vitam expectat. Hæc omnis quicumque aspicit, rectè in admirationem protinus assurgit, & beatissimam pronunciat, quia videt ad quantam gloriam per tot virtutes exurgat. Cum reginæ eam & concubinæ laudant; quia etsi operibus falsi prædicatores contradicunt, sermonibus tamen eadem quæ & veri populus ostendunt. De quibus ipsa Veritas dicit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Quod apertè manifestat dum iterum dicit: *Dicunt enim, & non faciunt.* De quibus & per Apostolum Paulum dicitur: *Dicitis confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Sancti autem viri dictis & factis Deum confitentur; quia quod credunt faciunt, & ad bona quæ faciunt, etiam alios sermonibus & exemplis trahunt. Quorum virtutibus adversarij ad fidem excitantur, dum in eis & puritatem fidei, & constantiam operis admirantur. Unde & synagoga ad fidem erigitur, cum in Ecclesia quæ sint merita fidei admirans contempletur, dicens:

X. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?*

Ecclesia sancta quasi aurora consurgens in iudicio ultimo progreditur, quia relictis tenebris corruptionis, incorruptionis claritate innovatur. Quæ bene ut sol electa dicitur; quia ad eandem gloriam perducitur, ad quam caput ejus Christus, qui sol justitiæ esse perhibetur. Unde est quod idem sol ait: *Volo Pater, ut ubi ego sum, illic & minister meus sit.* Quod tamen & de membris ejusdem Ecclesie adhuc in hac carne viventibus intelligi potest. Sunt enim nonnulli qui magna intentione quæ sint tormenta reproborum aspiciunt, & quæ sunt facta sua sine palpatione examinare contendunt. Dumque se peccasse cognoscunt, & per hoc ire ad reproborum tormenta pertimescunt, subito tenebras iniquitatis derelinquunt, & luce justitiæ accendi concupiscunt. Mox ad sanctam operationem consurgunt, & per bona quæ faciunt, clarere quibusque proximis incipiunt. Hi proculdubio velut aurora consurgentes progrediuntur, quia subito noctem peccati evacuant, ad lucem magis ac magis dilatantur. Sic anima quæ prius erat in tenebris, nunc splendens apparet, & quæ etiam in semetipsa obscurabatur, nunc aliis lumine sanctæ operationis resplendet. De qua bene subditur: *[Pulchra ut luna, electa ut sol.]* Luna quippe dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, per quod homo gradiatur, demonstrat. Sic nimirum quæque anima, quæ tenebras dimittit, & in sanctam operationem se extendit, dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quasi lucem tenebrescentibus oculis spargit. Dum enim peccantes quique bonum opus aspiciunt, & ad idem faciendum se convertunt, quasi errantes in nocte, per lumen lunæ ad viam redeunt. Hæc itaque anima dum peccantibus bona exempla præbet, quasi luna in nocte lucet. Dum verò magis ac magis crescit, & de die in diem per consuetudinem operis lumen justitiæ tam perfectè accipit, ut etiam bonis exempla imitationis præbeat, quæ prius solis peccatoribus imitanda apparebat, profectò jam luna sol efficitur; quia quæ in nocte errantibus nunc lucebat, modò in die

S. EGO
LUNA
M. 3

ambulantibus lumen veritatis manifestat. Hinc est A quod sequitur: [*Electa ut sol.*] De qua bene subditur: [*Terribilis ut castrorum acies ordinata.*] Hoc quia jam dictum est, iterum non necesse est exponi, ne sic videatur fastidium generari. Sequitur ergo sponsus, & causam dicit unde tanta virtus in Ecclesia exercebatur possit. Visitatione quippe Christi renovatur, & quod in ea tenebrosum est, respectione ejus illuminatur. Et hinc est quod subdens ait:

XI. *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallis: et inspicerem si florissent vinea, et germinassent mala punica.*

Quid per nucas, nisi perfectos quosque intelligimus, qui dum divinam sapientiam intra corpora sua retinent, quasi nucleum in fragili testa portant? Sunt enim quamplures in Ecclesia, qui assidue divinae scripturae intendunt, quam suavis sit Dominus gustantes, amplius gustare concupiscunt, sancta gaudia in corde ruminant, & ruminantes magis ac magis convalescunt, & tamen foris nescientibus eos, viles apparent; quia ignoratur quam dulcem in suis interioribus cibum portent. Quid isti, nisi nucas existunt, qui nuclei dulcedinem intus ferunt, exterius verò carnis vilitatem præterdunt? De quibus erat

2. Cor. 4. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Hortus igitur nucum, corda sunt sanctorum, qui dum Deum valde diligunt, caelestem dulcedinem in intimis gerunt. Unde in Psalmo scriptum est: *Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abscondisti timentibus te!* Sed quid est quod in hortum nucum sponsus descendit, ut poma videat, cum potius nucas videre debeat? Verumtamen sciendum est, quod maxime corda perfectorum visitat, eisque benignitatis suae suavitatem manifestat; ut per eos ad infirmiores postmodum veniat, & quantum in augmentum justitiae profecerint, per illos cognoscat. Unde scriptum est: *Dominus de caelo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.* Dum enim divina bonitas corda perfectorum illustrat, eosque ad curam proximorum per charitatis sollicitudinem instigat, quid hoc est aliud, nisi quod ad hortum veniens, poma convallis per illos quibus praesidet, prospectat? Tunc enim Dominus videre, vel cognoscere dicitur, cum sanctos suos quos illustrat, ad videndum exhortatur. Sed quid est quod non poma montis, sed poma convallis, ut videat descendit, nisi quod illis respectum suae miserationis tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit? De quo per Psalmistam dicitur:

Ps. 13. *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit.* Et ipse Dominus per semetipsum ex voce Prophetae dicit: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & tremementem sermones meos?* Sequitur autem sponsus, & dicit: [*Et inspicerem si florissent vinea, & germinassent mala punica.*] Vineae florent, quando in Ecclesia filij recenter in fide generantur, & ad sanctam conversationem, quasi ad fructus soliditatem, preparantur. Mala punica germinant, quando perfecti quique per exempla sua proximos edificant, & in novitatem sanctae conversationis per praedicationem & bonorum operum ostensionem invitant. Illud quippe malum punicum, videlicet Apostolus Paulus germinaverat, qui dicebat:

Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Sic etenim in sancta Ecclesia agitur, ut per bonos mali convertantur, per perfectos imperfecti nutriantur, donec & ipsi ad perfectionem veniant, & infirmos quosque sicut ipsi perducti sunt, ad meliora perducant. Hoc Christus Ecclesiae sponsus visitando perficit, respiciendo corpus sanctum conjungit: quia ideo corpus infirmitatis assumptum esse cognoscitur, ut in corpus suae claritatis tota

simul Ecclesia transformetur. Unde beatus Paulus *Phil. 3. 4* ait: *Qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Haec omnia in fine mundi synagoga tandem excitata percipiet, & se tandem haec ignorasse reprehendet, dicens:

Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. XII.

Ac si diceret: Tot virtutes in sancta Ecclesia fieri videns, quare in tanto tempore non percepi? Quare incredula persisti? Cur tandem per infidelitatem meam in tenebris ignorantiae remansi? Sed propter quadrigas Aminadab conturbatur, quia quandoque per Christi praedicationem ad fidem suscipiendam excitatur. Aminadab enim spontaneus populi mei interpretatur. Et bene proculdubio Christus Jesus à Patre spontaneus populi mei dicitur, quia verè spontanea charitate ad populum salvandum descendit, & ut nos à morte relevaret, pia voluntate & benigna gratia mortem in cruce suscepit. Unde & ipse ad Patrem ait: *Voluntarie sacrificabo tibi.* Et unus ex redemptis ad Christum loquens, aiebat: *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* Propter quadrigas ergo Aminadab synagoga conturbatur; quia quando tandem quatuor Christi Evangelia in mundo currentia, in cordibus hominum ferventia per fidem contemplatur, mox de infidelitatis suae tenebris confunditur, & oborta confusione salubri, ad poenitentiam commovetur. Cui Ecclesia benignè loquitur, dicens:

Revertere revertere Sunamitis, revertere revertere, ut intueamur te. XIII.

Sunamitis quippe captiva interpretatur. Sunamitis ergo ut revertatur vocatur; quia synagoga in fine mundi fides ab Ecclesia offerretur, ut dignitatem pristinam recipiat, quae sub infidelitatis jugo à demonibus captivatur. Et bene quater reverti admonetur; quia in quatuor mundi partes modò Judaei dispersi sunt, qui ubicumque fuerint, ut dictum est, in fine convertentur, sicut praedictum est per Prophetam: *Si fuerit numerus filiorum Israel velut arena maris, reliquia salva fient.* Revertatur ergo Sunamitis, ut eam intueamur, id est, synagoga ad fidem convertatur, ut in poenitentia sua omnibus ostendat quantum malum fecerit, quando Deum suum in cruce confisgebatur. Sed protinus cum Ecclesia fidem synagogae intueri appetit, sponsus congratulando quasi interrogans respondet, & dicit:

CAPUT VII.

Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? I.

Castra quippe militantium sunt. Castra ergo in Sunamite videbuntur; quia pro fide, quam modò impugnat, tunc robuste contra infideles praeliabitur. Sed quia hoc per sanctam Ecclesiam fiet ut synagoga convertatur, quia sermonibus & exemplis praedicatorum ad fidem convertetur, ideo rectè ad laudem sponsae sponsus se convertit, dicens:

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis? II.

Filia principis sancta Ecclesia dicitur, quia praedicatione Christi in vitam novam regeneratur, qui per divinitatis potentiam, omni creaturae quam condidit, principatur. Quid autem sunt calceamenta Ecclesiae, nisi exempla praecedentium patrum, quibus in via mundi hujus munitor, ut per omnes tribula-